

CIRCA PRÆCEPTUM JEJUNANDI, ET ABSTINENDI A CARNIBUS,

Ad d. Part. 3. in 2. Præcept. Eccles.

De Jejunii disciplina conservanda, vel redintegrandâ.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Libentissime quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occasiones ad vestros animas excitandos, ut Ecclesiastica disciplina reparanda sedulam curam conferatis: Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

§. 1. Cum itaque præsentium litterarum argumentum totum sit de Jejunio, quod tempore Quadragesimæ, veteri Ecclesiæ instituto, ac lege, Fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem consicere de Quadragesimæ Institutione, & Patrum, & Conciliorum omnes super hæc in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur: sed potius alienum, & nullo modo consentaneum vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ Historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porro ad scribendas has litteras adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ *sess. 25. de Reform.* præcipit Episcopis, omne studium impendere, ut Fideles ipsorum curæ traditi magna religione percipiant ea, quæ à Sacris Canonibus præscribuntur; „*Ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia.*“

§. 2. Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. *fel. rec.* ab Sede Anconitana translata fuimus) Mandatum evulgavimus (quod Libro primo Institutionum nostrarum pro viris Ecclesiasticis decimoquinto loco continetur:) In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendo Jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, & legitimam prius auctoritate interposita, Quadragesimæ abstinentiam non observarent, minime, inquam, solvendo à jejunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituire, non unica vice, vespertina superaddita refectio, quæ

permitti jejunantibus consuevit.

§. 3. Tandem in hac Pontificæ Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, & præstantissimis quoque Viris demandavimus, ipsam diligenter, accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones Nobis exponere. His præactis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constitimus, illudque decrevimus, ne ultra in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore Jejunii, vel Quadragesimæ, nisi conditio servandi Jejunii, sive unius comestionis, interponatur; & illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne, ac piscibus instruere. Equidem declinatis hæc ratione nimium implicatis questionibus, existimavimus unicum singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum Jejunium indicitur, rite obviaverunt; & pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi Quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

§. 4. Hæc apertissime constant ex nostris Apostolicis Litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos Orbis Catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt: *Non ambigimus*, alteræ vero: *In suprema*. Nos profecto nulli unquam largiri sumus veluti carnibus, cum tempus Quadragesimæ, sive aliud Jejunium præcipitur, nisi iudicata, scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætationem percepimus, cum reddite Nobis fuerunt plures Epistolæ, ac Mandata vestra, Litteris nostris Apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contentiditis adducere Populos vobis subiectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

§. 5. Interim promulgatis iidem Apostolicis Litteris, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitæ sunt à nonnullis, uti Nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illæ, vel ipsius Legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. Attamen Sacro Tribunalii nostræ Penitentiarie, rerum hujusmodi conficere, ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene

cu-

enulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

§. 6. Archiepiscopo Compollæ, in Hispaniarum Regnis Primus Inquisitor, nuperine vita functus, longam ad Nos dedit Epistolam, qua plures recensebat difficultates, quæ Litteris nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur; eo quod nonnulli Theologi in diversas opiniones, ac sententias abirent in solvendis quibusdam questionibus, quibus Litteræ nostræ Apostolicæ causam, & occasionem præbebant; ac proinde de illis Judicium nostrum exquirebat; equidem Archiepiscopi Litteræ Nos gravissimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum questionibus in ipsis expositis percurramus, visum Nobis est non quidem expeti, ut is questionibus responsum fieret, ipsique solutis, nullum impedimentum, sive obstaculum nostris Litteris Apostolicis superesset; sed potius ut objectis cavitationibus ad optatum finem ipse minime adduceretur. Accedit etiam, quod Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, & obsecris vocibus redundabat; quamorem, licet plures hortaretur, ne illum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus litteris delibantes, & quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus, ejus studium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod acciperet, ac dubius ad hæc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium expolceret. Deinde prolatis questionibus satisfecere non prætermisimus, illum tamen monentes de instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

§. 7. Vix redditus Litteris, Archiepiscopus paulo post vitæ cursum absolvit: Itaque non immerito suspicamur, responsa nostra, quæ litteris continebantur, haud cognita fuisse, & perfecta illis, quæ quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex Hispaniæ Episcopis nonnullas ex iidem questionibus Nobis proposuerunt; quare iidem responsis uti sumus, quæ tradita prius Archiepiscopo Compollæ à Nobis fuerant. Non deservunt etiam præstantes inter Italos Theologi, qui Litteras nostras Apostolicas, datas anno 1741. egregis commentariis illustrarunt: Idem contigit Responso, quod fecimus Archiepiscopo Compollæ die 8. Julii anno 1744. quod sane integrum suis Libris prælegendum curaverunt.

§. 8. At quoniam Libri ejusmodi ad Vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti, illos percurrere minime potuistis, his Litteris Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sæpius est) ad Archiepiscopum Compollæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina vestris in

Dioecibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne Vos deterreat difficultates, si quæ à captiosis hominibus conceitatur.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compollæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem.

SI Fratritas tua secum reputabit quot gravissimis, & maximis curis propemodum obruamur, quantumque hoc præsertim difficillimo tempore, prout Nos tenent impolita tenuitati nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur tandiu sibi procuratissimum fuisse responsum ad eas Litteras, quibus Apostolicæ auctoritate dissolvendas rogasti; obruas in Hispania disputationes aliquas à duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris anni 1741. 30. Maii, & 22. Augusti, quibus intra legitimis fines coercuimus invalescentem Ecclesiasticæ jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos immita licet rerum mole fatigatos ad expediendum tibi in omni sua perplexitate salutis iter operam nostram præsto habet.

§. 1. Quamquam igitur, dum prænunciatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinio non novitate gaudent; nec orium, nec animus Nobis fuerit desinare quicquid subtili indagatione deduci possit ex proposita à Nobis jejunandi regula; tamen eximia paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, & Nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

I. „Utrum, quæ in antedictis nostris litteris, in forma Brevis de unica comestione, & de epulis, non permiscendis, præscribitur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?“

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vitæ, sub gravi teneri easdem facultates non altere dare, quam geminis hæcæ adjectis conditionibus, videlicet unica in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsi conditiones implendas obligari.

II. „An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?“

Respondemus, non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utantur

L

ho-

homines jejunantes recte meticolosa conscientia.

III. „An qui jejuni tempore vesci carnis permittuntur, & unica commestione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus non habeant?

Edicimus, observandum iis esse.

IV. „Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Respondemus: Epulæ licitæ pro iis, quibus permittitur ex carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulæ interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur illi, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lactinia.

V. „An præceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque Dominicos Quadragesimalis complectatur?

Affirmatur complecti.

VI. „Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lactinia?

Referimus: Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis litteris statutum esse, quod respiciat gratiolum Cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem strictè, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quæpiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. „Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur, urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum; illud scilicet unicæ commestionis, cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responsio expressis; & alterum non permittendi epulæ licitæ cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

§. 2. Habes, Venerabilis Frater, penitus explicatum quicquid apud vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis litteris dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant, in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi è Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ Fidei fructum Hispania sibi peperit.

§. 3. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, & Inquisitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus, pro nimia exhaurienti argumenti sollicitudine, nullus fiat differendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna, inquam, disceptatione fluctuent animi, præsertim cum Consi-

tutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, & illuc prompte dirigi possent quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de præsentis negotii plurâ dubitarunt, nodum sibi exsolvisset. Patebat enim, nihil aliud Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sacri jejunii fines prætergressi, & non parum oblitâ illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum. Statim siquidem comperissent, quid in propositis questionibus constituendum esset; nec tibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimè undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent: quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore, libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum, in posterum simul præcipientes, quomodo in hujusmodi questionibus firmare gressus vestros in promptu sit.

§. 4. Reliquum est, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipue benevolentia nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertiamur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Julii 1744. Pontificatus nostri anno quarto. J. Vincentius Lucchesinus.

§. 9. Cum hæc ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cum Jejunium tempore Quadragesimæ, vel extra Quadragesimam Fidelibus præscribitur, unius commestionis limites excedant, ac ne pisces simul, & carnis parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perferuntur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quæ remedium à Nobis deprecantur.

§. 10. Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis non solum plures in qualibet Italiae Urbe, vestra auctoritate dissolvi à Quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contendentis, ut univerfam Civitatem, totamque Dioecesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam Civitatibus, ac Dioecesibus jam per multos annos Fideles univerfi, absque ullo discrimine, carnis per Quadragesimam utantur.

§. 11. Id quidem maximam Nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehendimus certis Testimoniis, in quibusdam Regionibus Septentrionis, toto Quadragesimæ cursu, lactis, & ovorum usum libere permitti, quia per plures annos eandem facultatem petierint, & ab Sede Apostolica consecuti fuerint: quamobrem illi Populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis, & ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur.

§. 12. Præterea maximi faciendæ esse ducimus

causa Trid. Concilii. sess. 25. cap. 18. de Reform. Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, eventibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius Legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.

§. 13. In Litteris nostris Apostolicis, quas anno 1741. ad omnes Catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illique verbis, quæ rursus hic subjicimus: „Debitum igitur Paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, & charitatis officium, jure postulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio, multitudini vobis, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti injunctam integram, & nonnulli gravissimam, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum Statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia, à Quadragesimali Jejunio dispensationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec auctacter idemque utiurpandam, nec superbe, & arroganter ab Ecclesiâ, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandum.

§. 14. Porro Nos hæc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram, Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postulare à Nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permittisse fuerunt, si lactis, & ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum conuevit, cum interposito Episcopi testimonio, id omnino necessarium judicaretur; nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum, & lactinia concederentur. Quoties autem abstinentia Quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscriptissimos, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigiliis præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ à Dominica Palmorum. Quandoque recentius etiam totam Hebdomadam Cinerum; aliquando etiam indicimus abstinentiam Feris sextis, ac Sabbatis, etiam si facultas à Nobis tradita, lactis, & ovorum unum solum complecteretur. Postremo eam conditionem temper addidimus, ne Jejunii lex unius per diem commestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes, & pisces apponerentur.

§. 15. Dum rationem hujus consilii nostri serio perpenderit, haud plene acquiescimus, ob eam sollicitudinem, ac dubitationem, ne causa ab Episcopo loci prolata, quam Nos legitimam credimus ad solvendam Quadragesimæ abstinentiam,

ejus nature fortasse non sit, quæ veram, & urgentem necessitatem continet. Quippe illud Nobis temper ante oculos propositum habuimus, ut nihil à ratione alienum, nihil inconstans, ac temere faciendum. Hærent pariter animo delicta Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium lib. 3. de Consul. cap. 4. Facitis hoc, quia potestis? Sed, utrum debeat, quæstio est, & quomodo: Attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac Dioecesum, nisi fides habeatur Episcopis, à quibus illæ administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animus iis advertere, quæ subjicimus.

§. 16. Non ignoratis ab Innocentio III. Prædecessore nostro cap. Consilium, de Observantia jejuniorum, inter causas legitimas solvendi abstinentiam à Carnibus jejunii tempore, recentiori veram, & existentem reipia ægritudinem: „Præterea de illis, qui in Quadragesimâ, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi elum Carnium indulgere, respondemus: quod, cum non subsistant legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgenti necessitate exigit, supportare potes, & deos, ut in majus periculum eis evitentur. Idem statuerant multo ante Innocentio III. Patres octavi Concilii Toletani Can. 9. quod anno 653. celebratum fuit. „Quisquis abique inevitabili necessitate, ac tunc fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ ejum Carnium præsumpserit attentare, non solum erit reus Reurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei Sancta Communionem. Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam à Sacerdote permittam accipiant.

§. 17. Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causas satis esse, ut aliqui à Jejunio legibus, & abstinentia immunes existantur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, Cives univerfos aliquid Urbis, vel Dioecesis, eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosa ægritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab æris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulo post verba facimus. Quis credat unquam, Populum univertum aliquid Recces, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute coniectum?

§. 18. Neque vero causa sufficiens habenda est, ut aliqua Civitas, vel Populus abstinentiam Quadragesimali liberetur, ipse Carnes permitantur, si forte pisces, vel ova caro pretio vendantur, sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam

etiam opulentos; è quibus etiam alii vitæ sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii vero patrimonio, ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus suffragatur. Id afferunt etiam nonnulli Theologi haud feverioris disciplinae, quorum sententiam recensimus capite nono Libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiae Typis impressimus.

§. 19. Illud etiam inane commentum profusus existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ Civitates, vel Dioceses, ubi exercitus versantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abstinentiae leges minime observant. Id potius abnatis Civium inflammare deberet ad jejuniū rite, religiosèque suscipiendum, ut nempe Milites tanta virtute temperantia permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illud solum pro legitima causa in medium proferri potest, copias Militum tantam afferre civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadragesimæ Jejunio non obtemperant, ut harum rerum pretia summo opere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quae paulo ante diximus, cum pisces, & ova cariori pretio comparantur.

§. 20. Igitur peculiari morbi, quamvis frequentius, in postero pro causa solvendæ abstinentiae non adducatur, nisi forte Civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque in postero herbarum, olei, piscium, & ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis Civitas, vel Diocesis, ab Instituto Quadragesimæ Jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas à Nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex Jure Canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

§. 21. Innocentius III. quem superius nominavimus, eodem cap. Consilium, de Observatione jejuniorum, Archiepiscopo Bracarensi postulanti, qua poena plectendus judicaret illos, qui tempore Quadragesimæ à carnibus non abstinuerant ob summam rerum charitatem, & angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis: „Cum autem quaesieris, quæ sit illis poenitentia injungenda, qui diebus Quadragesimalibus, tempore quo tantæ famis inedia ingruerat, quod magna pars populi propter inopiam antea non æperiret, carnes comedere sunt coacti, respondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipsis aliqua tenus imputetur; quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur. Si quis hoc tempore Episcopus, adductus exemplo Bracarenis Antistitis, idem consilium peteret à Sede Apostolica, tanquam ineptus,

ac simplex haberetur; sed illo Ecclésiæ sollicitissimo saeculo maximi pendebatur, ut æquum est, Quadragesimæ præceptum. Hinc magna feveriter inquirebantur illi, qui minime paruiscent, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur: nec ulla ratio habebatur virorum Principum, licet ipsorum incolunitas cum Republica felicitate conjuncta putaretur, uti Nos fute ostendimus in decima, quinta nostrarum Institutionum Libri primi. Sed iis omittis, & aliis bene multis, quæ in hac rem congeri à Nobis possent, illud primum delibabimus ex responso Innocentii III. tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram Civitatem, vel Diocesim, cum re ipsa non suppetant ea, sine quibus præceptum Quadragesimæ observari nequit. Itaque si re vera in aliquo loco neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc Incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte, & ovis utantur: Si hæc autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedatur, interposita semper jejunii servandi conditione.

§. 22. Insula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus parit charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei ullus præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. à Nobis quaesivit, an ex concessione sibi facta à Sede Apostolica dispensandi super esu carniū, ovorum, & lacticiuorum tempore jejuniuorum, & Quadragesimæ, dici posset, ubi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, & omnes sui districtus Incolas, quando coram Deo id expedire judicasset: habitoque responso; facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudinē hominum, & omnibus Incolis sui districtus; pro concessione exoravit. Pro causa expoluit venenicam piscium qualitatem; exiguum piscatorum numerum, qui longe ab Insula piscantes, pisces deserebant, aut fetentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quæ oleum emergere non poterant pro cibis Quadragesimalibus necessariis; deficientiam denique oleum, & leguminum, quæ in ea regione facile corrumpuntur, aut à vermibus consumuntur. Re lubinde mature discussa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis die 21. Aprilis anno 1742. habita ratione regionis nimis remotæ, à qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursum; indulgentes necessitati Fidelium dependentium in Insulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium, ut in casu veræ, & ineluctabilis necessitatis, & tantum de anno in annum, præfataque vera necessitate durante, & non aliter, nec alio modo, uti possent, & valerent cum fidelibus Populi ipsorum regi-

mini committis dispensare super esu ovorum, & lacticiuorum, & etiam carniū tempore Quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejunii per unicum comestionem, onerataque prædictorum Præfectuorum conscientia, si admissim juxta præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

§. 23. Sed jam ad experientiam devenimus. Quindecim abhinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc funesta lues promanaret. Id contigit annis 1730, 1733, 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura jam ætate debilitatis extremam affererebatur perniciem: nam ex ipso febres acutissimæ, ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut gravissima deinde mala provenirent. Alias quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, agros in discrimen vitæ adduxisse, Medici Scriptores luculenter testantur.

§. 24. Itaque, si Medicinæ Professores acciti, monitique graviter, ut nihil à veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (ut nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ, qualem superius commemoravimus, ita ut nulla ætas libera, & incolunt esse queat; & affirmet, illis ipsis, qui inter Cives salvi, & integri numerantur eandem perniciem imminere; id præterea conferre plurimum ad ejusmodi lues depellendam, aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani à piscibus, & oleo, & quandoque pariter à lacte, & ovis abstineant, si, inquam, res ita se habeat, ut proculdubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientia innititur, & quæ semper probata, & in postero probanda videtur ut nempe Populus, seu Civitas integra à carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

§. 25. Neque ulla difficultas removeere vos debet à consulendis Medicis, qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quicquid revera fenserint, scripto testari non prætermittant; quæ conditio si deit in postero, nulla unquam facultas Civitati, aut Diocesi, carniū, aut lacticiuū vescendi tempore Quadragesimæ tribuetur quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam, quod Medici facilitate quadam incredibili peculiari quidem Cives à Quadragesimæ

præcepto liberos, & immunes decernere soleant (de qua re gravissime monendi à vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent.) Cum vero pro universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos carnibus, cum indicitur jejuniū, oleo, vel lacte ægrotantes utantur: Demum advertent, quam diligenter accurateque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes à communi lue superant.

§. 26. Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut vos hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiuū tempore Quadragesimæ pro universa Civitate, vel Diocesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæc facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia à vobis compertum erit, delicatis quoque, ac molliibus abstinentiam Quadragesimæ nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recenseri.

§. 27. Hanc rationem, & institutum Nos ipsi secuti sumus Romæ, ac Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus) cum nuper Quadragesimæ tempus ageretur. Si vos id quoque præstabit, neque facile à Nobis pro universa Civitate, vel Diocesi, facultatem solvendi Quadragesimæ abstinentiam postulabit, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quam servatis præmissis conditionibus, Dispensationis instantia ad Nos deferretur, non solum si fructus provenient, quos jam indicavimus; sed etiam repulsa pudorem evitabit, Nosque pariter ea molestita vindicabit, quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, & Apostolicam Benedictionem vobis, populisque vestris impertimur.

Datum ex arce Castri Gandulphi die ro. Junii 1745. Pontificatus nostri anno quinto. Consulto omittuntur in hac editione præcedentes alia super Jejunio ab eodem Sanctissimo Domino late Constituta, quod earum mens atque iussa in excusis hic Litteris dilucide continentur.

De non transferendo Jejunio Vigiliæ S. Mathiæ Apostoli, occurrentis ultima
carnisprædii die.

Epistola Encyclica ad Archiepiscopos, & Episcopos per Ditionem Pontificiam constitutos.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam
Benedictionem.

PROdiit jam dudum sub Dat. Kalendis Januarii anni 1748. Epistola nostra Encyclica ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos Pontificiæ temporalis Ditionis nostræ scripta, ut tribus gravissimis absurdis, quæ Bacchanaliorum tempore communiter accidere dignoscantur, opportuno remedio occurreremus. Horum primum erat, quod postrema nocte eorundem Bacchanaliorum, choreæ, vigiliæ, ludi eo usque protrahantur, ut initium sequentis diei, qui sanctæ Quadragesimæ primus est, in illis absumeretur; adeo ut non paucos ab hujusmodi ludis, vigiliis, saltationibus discedentes cernere esset, detracta quidem ab ore larva; sed tamen iisdem vestibus, quibus personati discurrebant, indutos, recita ad Ecclesiæ profecti, ibique Divinis Mysteriorum interesse, & sacros Cineres de more accipere; inde vero domum se referentes, totum plerumque mane primi Quadragesimæ diei dormiendo transigere. Alterum erat, quod in aliquibus temporalis Pontificiæ Ditionis locis sextis etiam feriis, atque iis quoque diebus, qui de præcepto Festi sunt, larva uti, & personatos homines vagari permitteretur. Tertium, quod in aliquot similitur prædictæ Ditionis nostræ locis, diebus Festis, tam de mane, quam pomeridianis horis, quibus Vespertina in Ecclesiis Officia celebrantur, & Christiiana Cathedra habetur, Circulatoribus, aliisque id genus securis copia fieret, ut in publicis plateis, & compitis ludicrum Populo spectaculum exhiberent. Pravis hinc consuetudinibus, & corruptelis cum in supradicta Epistola, quæ in Bullarij nostri tom. 2. impressa est n. 45. opportuna à Nobis remedia adhibita, & præscripta sunt; non modo quidquid in eadem statuitur, ac decernitur, plene in præsentia confirmamus, sed dilectis Filiis nostris S. R. E. Cardinalibus Legatis, necnon Gubernatoribus in Ecclesiastico Dominio existentibus; ac singulis, quoad propriam Diocesim, Episcopis, ut exacte eadem observari curent, enixe, studioseque mandamus.

§. 1. At præter hanc, alia accedit causa, cur alteras hæc Encyclicas Litteras Fraternalitibus vestris contriendas putaverimus; eaque ad vertentem annum 1751. referuntur, quo nempe in postremam Bacchanaliorum diem incidit Vigilia cum jejunio Sancti Mathiæ Apostoli. Quare, ut singulis Ditionis nostræ Prælatibus, quid æctum fuerit innoscat, quæ hic sequuntur, duximus exponenda.

§. 2. Præsens hic annus 1751. nondum inierat, quum ex variis partibus, tam ab Italia remotis, quam etiam deinde ex locis, quæ intra Italiam sunt, reddita Nobis fuerunt Litteræ variorum Episcoporum, ac Prælatorum, qui advertentes, hoc anno Vigiliam cum jejunio Sancti Mathiæ in postremum Bacchanaliorum diem incidere, Nobisque demonstrantes, nullo pacto evitari posse, quin hujusmodi jejunii scandalosa violationes, & publicæ, & fortasse etiam communes futuræ essent, cum satis superque notum sit, nullum Bacchanaliæ licentiæ, novissimo præsertim die, ac sequenti nocte, frenum esse; hanc agendi rationem proponebant, ut hoc anno translatio fieret Vigiliæ Sancti Mathiæ, eaque in diem Sabbati præcedentem, qui hebdomadæ Sexagesimæ novissimus est, retraheretur. Hanc autem à se propositam rationem quorundam Auctorum opinionem susceperant, qui docent, esse hanc Episcopum in propria Diocesi facultatem, ut gravi, ac legitima causa interveniente, tum jejunia, tum Festa de præcepto sua Ordinaria auctoritate ex uno ad alium diem transferat; & specia-liter cum Vigilia Sancti Mathiæ in postremum Bacchanaliorum diem incidat, ad evitanda scandala, quæ ex publica violatione jejunii de præcepto oritura forent, licitum esse ipsis, prædicta sua Ordinaria auctoritate, eandem Vigiliam ad præcedentem diem Sabbati transferre.

§. 3. Proposita hujusmodi instantias negligere, aut dissimulare minime Nobis conveniens esse existimamus, neque permittendum duximus, ut res libero curi procederent, absque eo quod illarum moderamini aliquo modo prospiceretur; cum Nobis, pro iis, quæ Bacchanalium tempore licenter nimis, atque intemperanter fieri compertum habemus, plene periculum sit, si res, in quo statu sunt, relinquuntur, nec aliqua opportuna pro iis ratio excogitetur, non modo præscriptum in Vigilia Sancti Mathiæ jejunium neglectum iri, quod publice etiam fortasse eveniet; verum, cum delinquentibus poena infligenda erit, non nisi paucos infimæ, ac miseræ conditionis homines eandem laturos, immunitibus interim iis, qui opibus potentes sunt, vel quia non deerit ratio efficiendi, ut ea quæ ab ipsis admissa fuerint, ad eorum, qui præsent, aures minima deferantur; vel etiam quia, licet illorum delicti notitia ad eos pervenerit, ea, quæ prudentia carnis est, hos admonere non præmittet, minime conveniens esse hujusmodi de causis cum Magnatibus sæculi in contentione venire, eamque concordiam dirimere, quæ pro bono rerum regimine tantopere necessaria est. Quamobrem hæc quam subjucimus, ratione responsum à Nobis fuit.

§. 4. Primo, non inanem, sed probabilem esse

esse timorem, quo, tum hoc anno jejunium cum Vigilia Sancti Mathiæ in ultimum Bacchanaliorum diem incidat, futurum dubitabatur, ut idem jejunium neglectum haberetur.

§. 5. Secundo autem, non inusitatum, aut novum esse, quod, ubi legitima aliqua causa intercedat, Vigiliæ, seu jejunii ad aliquam præcedentem diem translatio fiat. Hujus rei exemplum habetur in Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, quæ Vigilia, quoties in Feriam quintam incidat, qua solemnitas Corporis Christi celebratur, jejunium in præcedentem Feriam quartam anticipatur, secundum Constitutionem: Cum evenire, quæ Pontificis Urbani VIII. 232. est, quin tamen in eadem Feria quarta ulla, aut in Officio, aut in Missa, Vigiliæ mentio fiat, juxta Decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quod à san. mem. Clemente XI. approbatum fuit, & quod in ejusdem Bullario inter prædictæ Congregationis Decreta non numeratur. Idem etiam fieri videmus in solemnitate illius Sancti, qui ejuslibet Civitatis, aut Diocesis Patronus principalis habetur. Etenim, si in hujusmodi festum diem jejunium aliquod incidit, illud ad præcedentem diem transfertur, quemadmodum appositè à Cardinali Cajetano animadvertitur in sua Summa, in verb. Jejunium, quoad tertium §. De rationabili, & sicut etiam Sanchez lib. 5. Confessor. cap. 1. dub. 5. n. 27. ac Leander Oper. Moral. part. 3. tract. 5. disp. 10. g. 39. aliorum, qui concordati sententia sunt, auctoritatem adducentes, prosequuntur.

§. 6. Ille à Nobis casus plane omisus est, quo, cum in secundam feriam incidat solemnè aliquod festum, quod Vigiliam cum jejunio habeat, jejunium ad præcedens sabbatum transfertur, secundum Textum Decretalis in cap. Ex parte, de Observantia juniorum; cum notum Nobis sit, Ecclesiis Catholicam gravioribus, atque altioribus de causis jejunium diei Dominico fidelibus interdixisse; ad refellendam videlicet, coarguendamque hæresim Manichæorum, qui propter infernum animum, quem adversus Christi veram Resurrectionem habebant, in ipsius contemptum diei Dominico jejunabant, quemadmodum à Sylvio in 2. 2. D. Thome quest. 147. art. 5. quest. 8. appositè animadvertitur.

§. 7. Verum aliorum prædictorum casuum rationem habentes, illud tertio loco reputavimus, quod si jejunium ea de causa anticipabatur, ut dies festus, exclusa jejunii molestia, congrua animorum exultatione celebraretur, multo potiori ratione anticipari jejunium poterat, ne idem magno cum scandalo publicæ, ac pene communi irreverentia exponeretur; eo magis quod, si rem ipsam penitus introspicimus, non incongruum dici videretur, inter prælatos casus, ac nostrum, eandem quasi rationem intercedere, cum fortasse in ipsis jejunium non minus ad excludendam molestiam anticipetur, quam propter timorem,

ne in die publicæ lætitiæ ipsius jejunii observantia negligatur.

§. 8. Propositis tribus considerationis capitibus, quartum cum succederet, ut nimirum videretur, num, cum Sancti Mathiæ jejunium in Sabbatum Sexagesimæ anticipari vellet, fieri id ab Episcopis in propriis Diocesis possit, non requisita Pontificia nostra auctoritate, sed eorum Ordinariæ dumtaxat potestatis jure. Quæ de re duas esse Auctorum opiniones animadvertimus. Earum altera Ordinariæ Episcopi in propria Diocesi auctoritati facultatem omnem attribuit, dummodo gravis, ac legitima causa concurrat, ejusmodi esse arbitrantur evidens periculum publicæ jejunii violationis, quæ ulmo Bacchanaliorum die sane eveniret, si tali die jejunandum foret. Hujus sententia lunt Gøbat in sua Theologia Sacramentali tract. 5. cap. 3. sect. 2. in Appendice n. 111. & seq. La Croix in tom. 1. lib. 3. p. 2. n. 1273. qui etiam tom. 2. lib. 6. n. 2083. id ipsum rursus confirmat, & subdit, quod etiam anno 1694. à Congregatione Sacrorum Rituum decretum fuerit, jejunium in ultimum Bacchanaliorum Sabbatum minime esse anticipandum, quoties Vigilia Sancti Mathiæ in eorundem Bacchanaliorum postremum diem incidit, ut videre est in Decreto 92. in Bullario Innocentii XII. inserto, & relato à Salmanticensibus in eorum Cursu Moral. t. 6. tract. 23. c. 2. puncti 5. n. 93. huic tamen præscripto tunc esse locus debeat, cum Episcopus jejunii anticipationem animarum salutis minime expedientem existimet; nunquam vero cum justè eidem causæ sunt, ut illud anticipari jubeat.

§. 9. Altera autem sententia, quæ anticipationi jejunii contraria est, non eam Episcopo potestatem esse contendit, ut in sua Diocesi eandem statuere valeat, etiam Vigilia Sancti Mathiæ in eum incidat diem, qui Bacchanaliorum postremus est. Ita magna vi contendunt Theophilus Raynaudus Heteroclit. Spiritual. tom. 15. pag. 273. n. 34. Meratus ad Gavantum tom. 2. p. 1. sect. 7. cap. 4. sub. n. 23. §. Si Vigilia. Cavalierius ad Decreta Congregationis Sacrorum Rituum part. 2. tom. 1. pag. 134. & seq. Diana in Edit. coord. t. 3. tract. 3. quest. 88. num. 3. Leander part. 3. disp. 10. quest. 42. Monacellus in Formul. Legal. part. 2. tit. 16. formul. 4. num. 12. Ferraris in Bibliotheca Canonica tom. 4. in verb. Jejunium num. 26.

§. 10. Posteriorem hanc opinionem, non communiore modo, sed & rationi magis contentaneam, ac meliori fundamento inaniam esse, dubitandum profecto non est. Quidquid enim sit de rationibus, quæ à præfatis Auctoribus ad tuam confirmationem assertionem afferuntur, quibus sane adæquatam responsum dare haud difficile esset; si Vigilia cum jejunio pro Festo S. Mathiæ ab Innocentio III. de præcepto constituta fuit in cap. Ex parte, de Observantia juniorum, ubi nimirum ab eo Pontifice sopita fuit controversia, quam quidam excitaverant, qui neque Vigiliam, neque Je-

Jejunium in honorem Sancti Mathie observandum esse contendebant propterea quod licet ipse Apostolus, non tamen directe per Christi vocem vocatus sit; si ante Innocentium III. Pontificem Alexandr. III. interrogatus ab illis, qui jam tunc Vigiliam, cum jejunio pro Sancti Mathie Feste observabant, quænam per annum Bisextilem adhibenda regula foret, respondit, Vigiliam semper eo die, qui Festum præcedit, celebrari debere, eo casu excepto, quo eadem in diem Dominicum incidere: Festum Beati Mathie juxta consuetudinem Ecclesiarum, Vigilia etenim præcedat, ut nec pro bisexto, nec quolibet alio modo, inter se, & solemnitatem, aliam diem admittat; in qua utique, nisi Vigilia venerit in Dominica die, jejunium celebratur: Ut legitur in cap. *Quæsit*, §. *Festum, de verborum significatione*, quæ Alexandri Decretalis tum in Appendice ad Concilium tertium Lateranense cap. 22. pag. 1718. tom. 10. *Conciliorum Collectionis Labbeæ*, tum apud Martene de *Antiquis Ecclesiæ Ritibus* t. 3. lib. 4. cap. 31. num. 23. refertur: facili negotio intelligitur, Auctoritatem Ordinarium minime posse Vigiliam Sancti Mathie, etiam in ultimo Bacchanaliorum diem incidat, ad præcedens Sabbatum transferre; cum Ordinariæ Auctoritati nulla sit potestas derogandi, aut dispensandi in iis, quæ à Romanis Pontificibus, atque à Jure Canonico decreta sunt, quemadmodum à Nobis in Tractatu nostro de *Synodo Diocesana* lib. 7. cap. 30. demonstratum est.

§. 11. Sic itaque à Nobis responsum fuit Episcopis, ac Prælati, à quibus rogati fuimus, num ipsi Vigiliam Sancti Mathie ad præcedens Sabbatum transferre possent; quibus tamen adjunximus, quod quom Pontificia Auctoritas nostra eo pertingat, quo Ordinaria eorum Auctoritas pervenire nequit, Nos eisdem libenter licentiam, & facultatem, impertiebamur, ad hoc ut hoc anno Vigiliam cum jejunio Sancti Mathie anticipare possent, eandemque in Sabbato Sexagesimæ celebrandam statuere; & sic illam ad ea die, quæ Sancti Mathie Festum immediate præcedit, pro hac vice disjungere; cum satis superque peritatum Nobis sit, si eadem in ultimo Bacchanaliorum die celebrari deberet, Ecclesiastici præcepti transgressionem pene inevitabilem fore. Præterquamquod penitus perspectum habemus, quantum Nobis onus incumbat, ut omnem Fratrum nostris operam, atque adjutricem manum præstemus ad procul arcendas ab eorum Diocesibus Dei offensiones.

§. 12. Notum unicuique est, ab Apostolorum ulque temporibus in more fuisse, ut in Ecclesiis honesta illa convivia haberentur, quæ Agapæ dicebantur, quæque à Tertuliano in *suo Apologetico* cap. 39. tam bene describuntur. Notum pariter est, illos, qui ab eis frequentandis se abstinabant,

à Communione Fidelium segregari consuevisse. Quam etiam ob causam hæreticorum Eustathianorum agendi ratio in Synodo Gangrensi *Can. 11.* damnata fuit. Notum tandem etiam est, propter abusus, quos in Agapis exoriri animadvertum fuit, eandem tum à Concilio Laodiceno *Can. 28.* tum à Concilio III. Carthaginiensi *Can. 30.* interdictas fuisse. Quibus prædictam Ecclesiasticæ disciplinæ rationem, ac methodum ea, qua par est, attentione secum reparando, animadvertet, eandem minime dubitasse antiquam Apostolicam consuetudinem, propter ea, quæ incommoda, & absurda eveniebant, omnino abrogare; non erit, cur quidquam mirari debeat, si ad eos præcavendos abusus, qui nulla ratione evitari possent, non ad perpetuum quidem tempus, sed pro unica tantum vice, in die jejunii variatio fiat, remanente tamen obligatione, ut idem jejunium in subrogata die adimpleatur. Aliis profecto, atque aliis compluribus, ut potuissemus exemplis graviorum etiam derogationum circa Ecclesiastica præcepta inductarum, aut concessarum, quæ in Ecclesiæ Annalibus occurrunt: verum illud de Agapis, tanquam convenientius, & huic proposito conjunctius selegimus, quoniam in eo, non secus, ac in nostro casu, de præcavendis quæ excessibus agebatur.

§. 13. Dum autem supradictis Episcopis, ac Prælati respondimus, iidem studiose mandavimus, ut Ecclesiasticos Sæculares, ac Regulares hortarentur, ne anticipatione jejunii uti vellet, sed ut ipso die Vigiliæ Sancti Mathie, ultimo videlicet Bacchanaliorum die jejunarent, cum minime existimandum sit, eos in Bacchanalium intemperantis immerfos esse, sicut laici homines ut plurimum sunt.

§. 14. Hæc igitur per Nos responsa data sunt iis, qui seire cupientes, quænam per hunc annum ratio circa ultimum Bacchanaliorum diem, in quem Sancti Mathie Vigilia incidit, adhibenda foret, rem ad Nos detulerunt. Nunc eandem omnia per Epistolam hanc nostram Archiepiscopis, & Episcopis Temporalis Ditionis nostræ nota facimus, ut si quis eorum metuat, ne in sua Civitate, vel Diocesi, ultimo Bacchanaliorum die præceptum jejunii violetur, eo uti remedio possit, quod à Nobis indicatum est, eodemque modo ac forma, quæ desuper expressa fuit; qua quidem in re Nos illi amplam facultatem concedimus, & impertitur; sin autem id minime metuat, hujusmodi res in suo naturali cursu relinquatur. Tuis interim, Venerabilis Frater, precibus Nos commendantes, Tibi Gregique tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoris die 30. Januarii 1751. Pontificatus nostri anno undecimo.

Per-

Permittitur esus Carnium in Castellæ, Legionis, & Indiarum Regnis.

Venerabili Fratri Henrico, Archiepiscopo Nazianzeno, apud charissimum in Christo Filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio.

BENEDICTUS PAPA XI V.
Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Jampridem à Dilecto Filio nostro Trojano S. R. E. Cardinali Aquaviva occupato, pro parte charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, supplicatum Nobis fuit, ut Regnis Castellæ, Legionis, atque Indiarum, in quibus veteri consuetudine licet edere partes extremas animalium, pedes nempe, alas, colla, atque intestina die Sabbati per totius anni spatium, non tamen diebus Sabbati per Quadragesimam occurrentibus, aut cum jejunium præcipitur, Apostolica auctoritate licentiam, & facultatem impertiremur, reliquis etiam partes ipsorum Animalium Sabbato edendi, ut cæteris Hebdomadæ diebus fieri consuevit: Ea vero causa potissimum in medium ferebatur, arduum profus, ac difficile esse veritas Animalium partes satis accurate, ac diligenter secernere à reliquis partibus, quæ in cibum permittuntur, idque molestos scrupulos, ac dubietates in animis Fidelium excitare.

§. 1. Quapropter opinionem b. m. Ludovici dum viveret, S. R. E. Cardinalis Bellugæ nuncupati exquisivimus, qui sententiam suam scripto exaratam Nobis declaravit, nempe in Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum, veterem morem obrivisse, ut Sabbatis simplicibus, id est, quibus nullam jejunii, aut Quadragesimæ præceptum indicitur, edere liceret pedes, alas, & colla Animalium; eadem tamen facultate carere Regna Aragoniæ, Valentis, Majoricæ, Minoricæ, & Principatum Cathalauniæ, quibus in locis temperantia à carnibus eodem pacto per Sabbatum, quo per dies Venetis observatur. Tandem idem Cardinalis affirmavit eo rem devenisse, adeoque sollicitos, & anxios esse populos omnes, qui versantur in illis locis, ubi partibus extremis Animalium vesci solummodo, reliquis autem abstinere debent, ut necessarium duxerit elargiri licentiam, & facultatem, quæ à memorato Cardinali Aquaviva, uti dictum est, petebatur.

§. 2. Consilio tanti Cardinalis, quem Nos semper maximi fecimus ob singularem pietatem, doctrinam, & rerum Hispaniarum cognitionem, acq̄rescere utissime poteramus; sed cum nulla diligentia supervacanea judicari deberet in hoc gravissimo negotio, in quo disciplinam, nimis relaxari, & prævæ consuetudini nova superaddi videbatur ab institutis Ecclesiæ profus aliena, aliorum pariter

in hac re sententias requisivimus. Itaque postquam certi facti sumus, Episcopos, & Viros Ecclesiasticos Hispanos, sapientia, ac pietatis laude insignes, qui in Hispania degunt; in hanc opinionem convenire omnes, non modo utile, sed necessarium esse populis, quos antea nominavimus, elargiri licentiam, & facultatem, ut non solum quibusdam partibus Animalium, sed omnibus libere ad mensam utantur per Sabbata simplicia; & si nequaquam id liceat, illud necessario consequi, ut illi, qui Deum timeant, in maximas angustias, ac dubietates adducantur, cæteri vero, qui parum de Ecclesiæ disciplina solliciti sunt, ipsam apertissime, atque injuriose contemnant; rem etiam universam præclaris Theologis, doctisque viris hic Romæ examinandum proposuimus; Nosque ipsi accurato studio perpendimus.

§. 3. Ac primum in mentem venit integram abstinentiam à Carnibus indicare per dies Sabbati, quemadmodum tot aliæ Nationes, & plura quodque Hispaniarum loca facere magna religione consueverunt. At Nos (omittimus hic recensere, qualicumque sit, illorum opinionem, qui hanc consuetudinem edendi postremas Animalium partes tum cœpisse arbitrantur, cum fel. rec. Adrianus I. Egilam Toleti Archiepiscopum vehementer objurgavit, eo quod in Hispania carnes apponerentur die Sabbati, sicuti in Græcia fieri solent) Nos inquam permoti exemplo Sancti Greg. VII. Prædecessoris iidem nostri, qui potius adnoens, quam præcipiens, hortatus est Christianos, ut Sabbati diebus à carnibus abstinerent, nisi forte solemnè aliquod festum iidem diebus celebraretur; adducti pariter exemplo Innoc. III. Prædecessoris similiter nostri, qui hujusce consuetudinis plurimam rationem habuit; insuper expendentis doctrinam Sancti Antonini, aliorumque præstantium Theologorum, illos nempe lethali culpæ obnoxios esse, qui die Sabbati absque legitima causa vescantur carnibus, in *is locis, ubi consuetudo contraria fuerit*; postremo illud animo cogitantes, non solum in Hispania, sed etiam in quibusdam Gallis Diocæbus, veteri instituto, Carnis esum permitti in Sabbatis, quæ inter diem Natalem Domini, ac Festum Purificationis interficiuntur; his, inquam, causis, perducti, primum consilium, quod in mentem venerat, deposuimus, facili conjectura perspicientes maximam difficultatem, quæ futura erat, si consuetudinem diuturnitate temporis confirmatam abrogaremus iis populis, quibus edere postremas Animalium partes permittitur.

§. 4. Post hoc consilium, aliis Nobis occurrit, nempe veterem consuetudinem ab ea, quæ recentior est, secernere, sive, quod idem profus est, solum indulgere, ut intestina, & partes extremæ Ani-

M

ma-

malium in mensam afferantur, uti consuetudo jamdudum tenuit, ac simul auctoritate nostra præscribere, ne reliquæ partes Animalium in cibum famantur: sed hinc sententiæ magis opere adferantur ea, quæ superius commemoravimus, nempe dubitates, molestique serupuli Fidelium ex una parte, & ex altera contemptus abſtinentiæ, quam facile negligerent illi, qui Divino timore parum decuntur. Quæ cum ita se habeant, solum sapere facultatem largiri, ut diebus simplicis Sabbati, non vero Quadragesimæ, carnes absque ullo discrimine permittantur: siquidem hoc pacto ratio habetur humanæ fragilitatis, ac tenuitatis; pii Fideles ab omni sollicitudine, metque eripiuntur; ac postremo plurimis scandalis aditus intercluditur.

§. 5. Quæ de causâ, morem gerentes voluntati ejusdem Philippi Regis Catholici, & obsecrantes vehementer studio tot Virorum, qui in Hispania commendatione pietatis excellent, Fraternitati sue

per præsentem committimus, & mandamus, ut nostro nomine, nostraque Apostolica auctoritate, permittas, & indulgeas, ut in Regnis Castellæ, Legionis, atque Indiarum, per dies Sabbati (quibus tamen hecque abſtinentia consueta Quadragesimæ, & neque aliud jejunium præcipitur) quibuslibet Animalium partibus Fideles vescantur; eam vero conditionem adjicimus, nempe si consuetudo hujusmodi postremas Animalium partes edendi diebus Sabbati, jamdudum in illidem Regnis invaluerit, & à veritate aliena minime fiat pericula Nobis exposita, & ipsa certo iusecunda videantur, si Carnium usus ad certas Animalium partes solum redigatur. Interea Apostolica benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, per amara verba impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Januarii 1745. Pontificatus nostri Anno quinto.

D. Card. Passioneus.

CIRCA RITUS IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE,

Ad Part. 4. de Sacramentis, eod. Tom. 1.

Vide infr. Constitutionem Omnium, congestam ad Tom. 3. Part. 3.

CIRCA SACRAMENTUM POENITENTIÆ,

Ad cand. Part. 4. Cap. 4. § 10. tum ad Part. 2. Cap. 3. § 5.

Declaratio Indulgentiarum eligendi Confessarium approbatum.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolica Indulta, quamvis prudenti Romanorum Pontificum dispensatione concessa, ad Christiani Populi profectum, & promovendam animarum salutem plurimum conferre non dubitamus: si tamen eorum interpretatio ingeniorum liberius opinantium licentia permittatur; unde in sensus à mente, & voluntate concedentium alienos detorqueantur, eadem in Ecclesiasticæ Disciplinæ detrimentum, & ipsorum Fidelium periculum, atque perniciem, perverso hominum abusu, traduci posse veremur. Quapropter, pro ea, quam Dei nutu susceperimus, sanctissimarum Ecclesiæ Legum custodia, & flagranti, quo tenemus, studio, de universo Christi grege ad æternæ beatitudinis metam securius dirigendo, non solum recte constitutas à Patribus agendi regulas in dies magis, ma-

gisque constabilire satagimus; nullam prætermissas occasione intemperate disciplinæ observantiam Catholicis omnibus præscribendi, & commendandi; verum etiam Indulgentiarum ab hac eadem Apostolica Sede benigne concessorum certos indicare limites, & tutam ipsorum formam, usumque præfinire, juxta nostram, & Prædecessorum nostrorum, quorum auctoritate prodierunt, mentem, & voluntatem; opportunum in Domino iudicamus.

§. 1. Sane hanc providentiam, si quod aliud Indultum, illud in primis postulare videretur, quod Sedes Apostolica, vel cunctis Christi fidelibus, per universalis Jubilæi Litteras, vel nonnullarum Regionum incolis, per Bullam, ut appellantur *Cruciatæ*, vel certis Universitatibus, aut Sodalium, seu Confratrum cæteribus, per specialia privilegia, elargiri quandoque consuevit facultatem eligendi sibi unum quempiam Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones audiendas, qui eos à cul-

culpæ, criminibus, & censuris, alioquin reservatis, absolvere valeat: Etenim eo periculosius in usu Indulgentiarum hujus generis erratur, quo gravius in illidem agitur negotium, Sacramenti nimirum Poenitentiae, lapsis post Baptismum ad salutem profusus necessarii, valida, ac legitima administratione, ejusdemque respective suscipio.

§. 2. Et quidem fel. record. Prædecessor noster Innocentius Papa XII. ex delatis ad se nonnullorum Episcoporum Regni Portugalliæ tunc temporis existentium, & aliorum timorata conscientia Virorum querelis, intelligens opinionem quandam revixisse, cæteroque per Apostolicas Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum Constitutiones, necnon per plura Congregationum S. R. E. Cardinalium, tam Concilii Tridentini Interpretum, quam negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium prepositorum, Decreta, dudum damnata, ac reprobatam; qua opinio frece plerique illarum partium Fideles, & Indulta circa prædictam Confessarii electionem à Sancta Sede concessa; & elargita in Litteris Apostolicis pro Cruciatæ Sancta emanatis, quas Bullam Cruciatæ vocant, ita intelligenda esse existimabant, ut facultas in Bulla hujusmodi Christi fidelibus attributa, confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Ordinarium ad Confessiones audiendas approbato, & recipiendi ab eo absolutionem, ut præfertur, à quibusvis peccatis, atque censuris in prædicta Bulla non exceptis, locum haberet, & habere censetur, etiamsi Ordinarius præfatus non esset Ordinarius illius loci, in quo Confessiones prædictas excipi contingeret; hujusmodi opinionem, in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, tam eorum, qui tunc temporis Episcoporum, & Regularium consultationibus præpositi erant, quam aliorum adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitionum à Sede Apostolica specialiter deputatorum, de ipsius mandato ex integro examinatam, iterum censuit proſcribendam, atque damnandam; sicuti re ipsa proſcriptis, & damnatis, per Apostolicas in forma Brevis Litteras incipit. *Cum fieri*, die decimano Aprilis anni millesimi septingentesimi, Pontificatus sui anno nono editas; decernens, & declarans, prædictam Bullam Cruciatæ, quoad approbationem Confessariorum, nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere contra formam Concilii Tridentini, & prædictarum Constitutionum Apostolicarum; adeo ut Confessarii tam Sæculares, quam Regulares, quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ à Poenitentibus ad audiendas Sacramentales eorum Confessiones electi, nullatenus Confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diocesis loci, in quo ipsi Poenitentes degant, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem fe-

mel, vel pluries ab Ordinariis aliorum Locorum, & Diocesium obtentam, etiamsi Poenitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent: Subindeque statuit Confessiones aliter in posterum factas, & respectively auditas, nullas, irritas, & invalidas fore; & Sacerdotibus, qui illas audire præsumpserint, suspensionis poenam ipso facto incurrendam indixit: Opinionem autem quamcumque contrariam, tanquam falsam, temerariam, scandalosam, & in prærii perniciosa, damnavit, & reprobavit; eamque potissimum, de qua supra diximus, ullo modo doceri, sustineri, aut ad praxim deduci, prohibuit, sub poena excommunicationis nisi in contrariis ipso facto incurrendæ; prout latius in prædictis Litteris continetur.

§. 3. Has Litteras Innocentii Prædecessoris prædicti post aliquot annos sua quoque auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit recol. præter mem. Innocentius Papa XIII. die decimatercia Maii anni millesimi septingentesimi vigesimi tertii, Pontificatus sui anno secundo, editis similibus in forma Brevis Litteris incipit. *Apostolici Ministerii*, quibus plura complexus est ad Ecclesiasticam disciplinam in Hispaniarum Regnis servandam pertinentia; ac inter alia declaravit, Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtulerint licentiam audiendi Confessiones, limitatam, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse Sacramentum Poenitentiae administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum; quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente, nullatenus suffragante: Necnon Sacerdotibus prædictis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, ad Confessiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime suffragari, quod approbati alii fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo Confessiones audiende sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat, vel qui ab humanis exceſſerit, aut Episcopatu renuenciavit, vel quia ad aliam Ecclesiam Auctoritate Apostolica translatus reperitur; sed necessariam omnino esse illis, qui actualiter, & pro tempore Ordinarii Jurisdictionem in ea Diocesi exerceat, approbationem; hanc tamen sufficere etiam tacitam, eamque tamdiu durare, quamdiu præcedens licentia, sive approbatio expresse revocata non fuerit; in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit; sicut etiam quando prior approbatio, tempore præfinito elapso, expiraverit.

§. 4. Cumque san. mem. Benedictus Papa XIII. præfatas Innocentii XIII. Litteras, suis aliis Apostolicis Litteris incipit. *In supremo Militaris Ecclesiæ Solio*, die vigesimatercia Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi quarti, Pontificatus sui anno primo datis, earum tenore de ver-